



V Vilhelmus ex illustri familia comitum Nassoviorum natus, ac in omni genere uirtutum & bonarum artium studio honeste educatus fuit. Itaque in uirum maximum, & Reipub. Germanorum utilem ciuem eusasit. Nam & religionis studium promouit, atque pacem inter Imperij ordines unicè conservare studuit. id quod anno 1546 in bello Smalkallico apparuit. Hinc factum ut Carolo Imperatori gratissimus, sepius eius nomine negotia magnimomenti expedierit. Cum autem uideret, multa in Catholicâ Ecclesia fieri, quæ superstitionem saperent, atque multum à primæ Ecclesiæ consuetudine aberraret, ipse doctorum uirorum, in primis Erasmi Sarcerij opera usus, suæ ditionis Ecclesiæ reformatum, et Euangelij doctrinam annuntiari præcepit. Hoc modo factum, ut Vilhelmus ob plurimas animi & corporis uirtutes apud finitimos principes in magna auctoritate fuerit. Tandem etiam anno 1557 contentio illa diuturna, quam Nassouij comites cum Cattorum principibus de finibus haberunt, principum quorundam interuentu, Franckoforti sublata fuit. Cum autem Vilhelmus senex obiisset, optimè spei adolescentes filios reliquit, quos in literarum studio Argentine & alibi educationi curauit. Ex his Ioannes patri in ditionis administratione successit. Is cum anno 1562 Basileam transiret, me in meis ædibus humaniter salutauit, atque studia mea inspexit, postea quoque Moscouiticam Historiam à me Germanice redditam, ex eius uoluntate Dillenbergæ ipsi offerentem, amicè suscepit, & liberaliter dimisit, ut non dubitem, eum illustres huius familiæ antiquos Heroas suis uirtutibus æquiparaturum. Anon.